



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTER INSIGNES** SANCTUARIUM NATIONALE
NICARAGUANUM,
QUOD BEATAE MARIAE VIRGINI IMMACULATE CONCEPTAE DICATUM,
IN URBE «EL VIEJO» INTRA FINES DIOCESIS LEONENSIS IN NICARAGUA EXSTAT,
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter insignes
sacras aedes dilectae Nicaraguanae Nationis merito recensetur templum beatae Mariae Virgini immaculate Conceptae
dicatum, quod in urbe «El Viejo» intra fines dioecesis Leonensis in Nicaragua extans, sanctuarium nationale antiquitus
habetur. Ad istud enim Christifideles e variis regionibus frequentes accedunt veneraturi gratiosam imaginem Deiparae
Virginis eodem titulo invocatae, quae, ut fert historia, anno MDLXV a fratre Roderico Sanctae Teresiae Abulensis allata,
volente anno MDCCXLVII inter iubilantes cives sollemni ritu coronata est. Qua re, cum Venerabilis Frater Boscus M.
Vivas Robelo, Episcopus memoratae Sedis, litteris anno MCMXCIV datis, etiam cleri populi quei sui nomine postulaverit ut
templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, praecipue benevolentiae documentum cupientes
praebere, tam sollertis Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis,
quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa
Apostolica potentate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium nationale, quod diximus, ad
Basilicae Minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris
aedibus hoc nomine exornatis rite competit, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris»
die IX mensis Novembbris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Minime vero dubitamus quin concessus honor
causa sit laetitiae carissimis Nicaraguanis filiis, quos proxime, benignissimo dante Deo, invisimus sollicitudine et affectu
summi Pastoris Ecclesiae et universalis Patris. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis
quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis
Decembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri duodevicesimo.* ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana
